

DEO DUCE,
ET
CONS. VENER. & AMPL. FAC. THEOL. & PHIL.
IN
REGIA ACADEMIA ABOËNSI,
DISQUISITIONEM MODESTAM
DE

USU ET ABUSU
METHODI MATHEMATICÆ
IN

THEOLOGIA
REVELATA,

BENIGNÆ ERUDITORUM CENSURÆ SUBJICIUNT

CHRISTIANUS
CAVANDER

PHILOS. MAG. & DOCENS IN FACULT. THEOL.

ET

HENRICUS AULIN

OSTROBOTNIENSIS,

DIE XXXI. MAJI ANNI MDCCLIX.

L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ, impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

Råd-och Handelsmannen i Ny-Carleby,
Högaktad

HERR **H A N S**
A U L I N,

Min Huldaste Fader,

HWar rättfint, kunde med största fog döma mig för otacksam, och til minsta del ej wärd all den huldhet, möda, omsörg, och dryga omkostnad, som J Min Huldaste Fader haft för mig osparad, ifrån min spädaaste Barndom til närwarande tid, om jag wid detta tilfälle ej skul le söka, ånskjönt på et aldeles ofulkomligt sätt, ådagalägga min renasta årkänsla och tacksamhet.
Och

Och som det är omöjeligt för mig, at wid detta tilfälle kunna upfinna tjenliga och eftertryckeliga ord, med hwilka jag mit wördnadsfulla hjerta, efter önskan, uttrycka kunde; ty beder jag, at J Min Huldaste Fader wiljen uptaga wiljan i itället för förmågan, och således låta defsa få rader, tjena til et tecken af min upriktigaste tacksamhet, för så många och obeskrifweliga wålgjörningar jag åtnjutit; emedan de dock aldrig af mig på annat sätt kunna betalas.


Allmachten förlånge Mine Kårafte Föräldrars lefnads dagar, och gjöre dem lyckeliga och förnögda, men förnämligast slutet af denna uselheten wålsignad och bekrönt med en derpå följande fall ewighet! Då fylles min önskan, då grönkas mit wål, och jag får under Min Huldaste Faders ömma omwårdnad tiltaga i Dygd och wishet; samt med tiden inbarga fruckten af Min Huldaste Faders osparda möda och omkostnad.

Jag lefwer städse med all barnslig wördnad

Min Högtårade Kåre Faders

Ödmjuk-Lydigste Son,
HENRIC AULIN.

*Non sum ego profundæ sensus, neque adeo
perspicacis ingenii, ut novi quippiam ex me ad-
invenire possim. S. BERNHARDUS Sermon
X. in Cant. Canticorum.*



PRÆFATIO.



O jam, nostro ævo, prohi dolor!
perventum est, ut nemo, qui rem æ-
qua mentis lance perpenderit, negare
queat, tempora illa in primis adesse,
de quibus prædixere viri ὑπὸ πνεύματι
ἀγίῳ φερόμενοι 2. Pet. I: 21. quod in Ecclesia Christi
exsurgent βλάβες φημοὶ καὶ ἐκπαίικται, κατὰ τὰς ἐαυτῶν ἐπι-
θουίας πνευόμενοι τῶν ἀσεβειῶν 2. Tim. III: 2. 2. Pet. III:
3. Jud. V: 18. quorum in religionem totam de-
bacchatur & furit impietas freni pudorisque jam
nescia. Licet enim non defuerint inde ab anti-
quissimis retro temporibus hostes Religionis Chri-
stianæ infensissimi, qui illam impudenter adlatrare;
& cum *Celfo*, ἀπίστευον ἅμα καὶ ἀδύνατον (a) esse, non
erubuerunt exclamare, ad quos proinde loca hu-
jusmodi etiam spectare, minime negamus; præfer-
tim tamen recentiori hac ætate, vel si mavis se-
necta mundi, quæ deploranda est veritas, eo pro-
cessit libertas, vel potius licentia cogitandi, loquen-
di & scribendi, ut jam *diceres apertam putei infer-
nalis abyssum, unde turbo procellarum erumpit, & hor-*

renda patidaque nigredine Ecclesiam Christi longe lateque inficit (b). Inveniuntur enim suffeni & Christianismi alastores, qui, fastu immenso inflati, & nescio quo furore diabolico agitati, horribili audacia, ore ultra modum scurrilitate abundante, aut ridiculose de sanctissimis veritatibus loqui, illasque albis semper dentibus ridere, aut etiam aliis modis easdem arrodere, pro singulari venditant dexteritate & perspicacia, nomen rarioris, liberæ & generosæ cujusdam sapientiæ eo modo affectantes (c). Hi, partim antiquos errores ex orco revocantes, partim quoque novarum variarum earumque pestilentissimarum haud raro opinionum farragine, quas imaginatio corrupta suggerit, impleti, typhum quendam eruditionis, ut dixi, supra vulgus spirantes, cavillis, quæ Epicureorum Scepticorumque insania & Cynicorum rabies unquam olim evomere potuit, Scripturam S. traducunt, ejurataque omni verecundia blaterant, eandem aut esse librum aliquem supposititium, multaque adeo in illa partim impossibilia, partim incredibilia, ridicula, monstrosa, obscœna, injusta, contradictoria, historica & physica errata, verbo, ἀσίστη & ἀσύμφωνα occurrere (d); aut saltim variis modis corruptam, turbatam & interpolatam esse (e); aut veritates quidem, saltim multas, continere, sed ὕστερον πρότερον compilatas confutasque, omnis methodi, s. ordinis & combinationis expertes, haud dissimiles scopis dissolutis & confuso chao (f). Ut verbo præcisdam: variis horrendis modis certitudinem Religionis

nis Christianæ labefactare, minuere, imo omnem religionem cuniculis subruere & tandem penitus extingvere conantur. Quem in finem etiam, inter alia, ad controversias diffensionesque Theologorum provocant, urgentes has quoque indicia esse certissima defectus certitudinis in Theologia (g).

Quod quamvis ab una parte ex intimis præcordiis doleamus, ex altera tamen summo affundimur gaudio, quod, quemadmodum contra veritatem non datur objectio insolubilis, prout perverse contendebat *Baylius* (h), non defuerint viri probata pietate & eruditione solida conspicui, qui has aliasque, horum Christianæ Religionis mastigum, omni solido fundamento destitutas objectiones, solidissime refutarunt, argutias & strophas, ad simplices & incautos implicandos, studiose excogitatas detexerunt, summamque omni veræ felicitati humanæ inimicam audaciam castigarunt, abunde sapius ostendentes, hos simplicis veritatis hostes semper succubuisse, quoties rationibus non cavillis pugna inita est; adeoque hoc modo vel in genere veritatem & præstantiam Religionis Christianæ argumentis variis iisque firmissimis propugnarunt (i), vel etiam in specie hujus vel illius paroramata & calumnias depexum dederunt (k). Ut illos taceam, qui nullam in Scriptura S. confusionem, ordinis aut methodi defectum nullum, sed potius ordinem naturalem, familiarem, vulgarem, Majestati divinæ & omnium captui convenientem obtinere evicerunt (l).

Hæc vero omnia, in quibus industriam & ingenium nostrum quaecunque exercere semper jucundissimum & gloriosissimum esse duximus, jam missa, hac vice, facere cogimur; verbo duntaxat monentes, non omnes, qui in hostibus Christianismi refellendis specimina industriæ & laboris dedere, semper suo ex voto satisfacisse muneri, sive eorum argumenta, sive modum eadem proferendi, h. e. sive soliditatem, s. prudentiam spectes; & illorum tantum recentiorum Eruditorum atque Theologorum institutum, modesto examini breviter subjicere constituimus, qui, ad illas querelas & calumnias evitandas, quæ præcipue ex dissensionibus & controversiis inter Theologos existentibus defumuntur, multum facere existimarunt, si Theologia Revelata methodo concinnaretur demonstrativa s. mathematica; etenim hoc modo, haud modicam partem litium istarum, quibus in partes distrahuntur Theologi, tolli aut saltim minui, in primis vero Theologiam Põlemicam, hac methodo traditam, controversiis infinitis feliciter finem afferre, arbitrantur (*m*). Imo, ipsis cavillatoribus sic optime nexum veritates revelatas intercedentem ostendi posse (*n*); hæcque omnia non parum ad gignendam de dogmatibus Theologicis certitudinem & animum mirifice oblectandum facere, contendunt (*o*).

Dum autem meditationes has subitaneas, favente Summo Numine, svasu Eorum quos humillima mente nunquam non veneramur, oculis Tuis L. C. sub-

subjicimus, omni, quo decet, verborum honore contendimus, digneris eadem in meliorem interpretari partem, mitiorique perstringere censura. Nos, quum vera omnino esse tam ea, quæ *Hesiodus* quondam hisce brevibus expressit verbis: *τις τῶ μάκρο ἀπόκρυφον δόξαται;* quam quæ in *Apol. Aug. Conf.* exstant: *Nullum remedium esse adversus sycophantæ morsum. Nihil tam circumspicte dici posse, ut calumniam evitare queat* (p); non multum movebimur, si cui voluptatem crearet, propositum & conatum hunc nostrum innocuum dente Theonino rodere, modo veritatem, ea qua fieri oportet ratione, exposuerimus.

(a) Vid. *H. Dittons* *warheit der Christl. Relig.* Part. I. Sect. II. p. 17. (b) Utor verbis Facultatis Theologicæ Parisiensis, vid. *Acta Historico Ecclesiastica* Tom. XVI. Part. XCI. p. 109. (c) Testantur hoc scripta auctorum a me excitatorum in *Diff. de Nat. & indole Theol. Nat.* Part. II. p. 70. aliorumque proli dolor! plurimorum, de quibus vid. *Act. Hist. Eccles.* T. III. P. XVI. p. 642-658. T. IX. P. L. p. 298-320. & P. LI. p. 441. sq. de libris hoc loco memoratis agit quoque *C. G. Grunzig.* in *Geschichte derer heutiger Deisten*, Cap. III. §. 8. p. 57. sq. Tom. porro XII. P. LXVII. p. 125. sq. & T. XIII. P. LXXV. p. 433-472. ubi pessima scripta atheïstica & naturalistica, nostra memoria edita, recensentur, in primis *Hatzfeldi* s. *Hartzfeldi* & *domini de la Serre.* *J. S. Baumgartenii* *Abriß einer Geschichte der Religionsparteien* Sect. I. §. 10. 14. 18. *Walchii* *Einleit. in die Relig. Streit.* intra *Eccles. Luth.* Part. V. Cap. V. Sect. IV. §. 74. sq. & extra *Eccles.* P. V. Cap. VII. (d) Hoc verum esse, abunde eheu! loquuntur libri quos auctores modo citati, aliique, suppeditant. (e) Vid. sis *H. A. Engelke* *Diff.*

de Diff. de sententiis in S. S. injuriis. (f) Hanc quoque non unius generis antiscripturarios inflare tibi, in primis vero illos, qui *les esprits forts*, ob vim ingenii atque acuminis, quam opinionis errore sibi inesse fingunt, non opus est, ut testimoniis accumulatis hic comprobem, cum tristis id satis loquatur experientia. (g) Vid. *Grotii* verit. Relig. Christi, L. II. §. 18. & notas variorum ad eundem L. a *Kachero* edit. p. 300. sq. *Stapperi* Theol. Pol. T. II. Cap. VI. §. §. 55. 272. sq. Cap. X. §. §. 68. sq. 136. 153. *Grundig.* Lib. cit. C. III. §. 6. & 7. (h) In certaminibus in primis cum *Leibnitio*, vid. *Walchii* Lex. Phil. p. 305. 893. & 2415. (i) De auctoribus qui hoc præstitere, vid. *mæe* Diff. cit. P. II, p. 49. *Pfaffii* Introd. in Hist. Theol. Lit. P. II. L. III. §. 2. p. 8. - 23. & *Baumgartenii* L. cit. §. §. 12. 16. 20. (k) Pertinent huc illi, qui contra ejusmodi cavillatores, historiam creationis, diluvii, miracula per Mosen facta, populi Israëliti in deserto facta, cultus Levitici apparatus, aliaque V. T. loca, e. g. de conjuge Lothi, historia Bileami, vulpeculis Simsonis, muris Hierichuntinis, &c. ut & Salvatoris nostri dulcissimi ab Evangelistis descriptam vitam, miracula, mortem & resurrectionem, nec non alia religionis nostræ dogmata, ex instituto defenderunt & ab objectiunculis luxuriantium ingeniorum liberarunt, quorum vero hic mentionem facere instituti ratio vetat. (l) Vid. *Rambachii* Hermen. Sac. P. II. C. VI. in primis §. 10 & evolve Scriptores qui in harmonia S:æ S:æ ostendenda, librisque ejus & dogmatibus amice conciliandis elaborarunt, quos, inter alios, dabunt *Pfaffius* L. cit. P. I. L. I, §. 10. *Buadeus* in Ifag. L. Post. C. VIII. §. XII. p. 1532. sq. Conf. quoque *Schuberti* Gedanken von der H. Schrift C. X. S. I. §. 555. (m) Leg. S. *Pufendorffii* Epistolam Holmiæ an. 1681. ad fratrem *Es. Pufendorffium* exaratam, super Theologiam in formam demonstrationis redigenda

genda, quæ exstat in Supplem. Act. Erudit. Lipf. Tom. II. p. 98. sq. post Præf. in *Huetii* Demonst. Evang. ut & in *Pfaffii* L. cit. P. I. L. II. p. 328. sq. vid. quoque *C. G. Ludovici* Hist. d. Wolffischen Philosophie passim, e. g. Part. II. §. 325. & *Ribovii* Theol. Dog. §. 164. (n) Vid. *Carporovii* Præf. ad T. I. suæ Theol. Rev. Dog. (o) Vid. *Ribovii* L. c. §. 77. (p) Vid. Cap. IV. de Eccles. p. 144.

§. I.

Continet quidem ea, quam DEUS ex immensa sua erga genus nostrum Φιλανθρωπία nobis concessit Scriptura S., omnia quæ ad salutem æternam consequendam nobis jam scitu necessaria sunt *Job. V: 39. Act. XX: 27. 2. Tim. III: 15.* Non tamen in unum caput omnes fidei articuli in illa sunt congesti, seu non proponitur ordine & distincte in uno loco quicquid de qualibet doctrina notandum est; sed hic & ibi in toto canone sparsim, plerumque cum moralibus & historicis conjuncti occurrunt, exponuntur & dilucidantur, prout data occasione & circumstantiis postulantis Spiritui S. convenientissimum visum est. Quamvis igitur lubentes fateamur, imo urgeamus, omnibus salutem æternam quærentibus, ante omnia, fontem ipsum s. Scripturam S. adeundam esse, ex illaque, ceu thesauro uberrimo, sedulo & prudenter hauriendum quicquid creditu & factu beatitudinem cœlestem obtinere cupienti necessarium sit. Absit tamen longissime, ut omnem methodum

modum artificialem in Theologia odio habeamus
 (9), illorumque adprobemus sententiam, qui re-
 centiori hac in primis ætate, eadem fere chorda
 oberrantes, ita studium biblicum commendarunt,
 ut, sub larva quadam pietatis, Fanaticismo, Indif-
 ferentismo aliisque erroribus faventes, Compendia
 & Systemata Theologica vel profus damnarent,
 vel saltem tanquam inutilia, rixarum & altercationum
 plena, contemnerent, diffamarentque (r). Quem
 ad modum enim *Theologia jure ramus studii biblici*
 dicitur, ita etiam maxima illos omnino laude di-
 gnos ducimus, qui, ut partim simplicioribus, ne-
 cessaria a minus necessariis discernere ignorantibus,
 nec non desidiæ hominum, ad rite ex Scri-
 ptura S. veritates salutares eruendas, modo conve-
 nienti & decenti succurrerent; partim quoque ut
 hæreticorum ausibus nefandis, sensum Scripturæ S.
 detorquentibus, simplicibusque & incautis verborum
 furo & formulis imponentibus, obicem ponerent,
 ea, quæ in sacris pandectis ut credenda tanquam
 fundamentum agendorum revelata sunt, in certum
 & justum ordinem, apta connexionem, h. e. *ἐν ὀρθο-
 νόμῳ καὶ κατὰ τάξιν* I. Cor. XIV. 40. idque vel concise, vel
 etiam fusius, quoad thesin & antithesin, redege-
 runt, explicarunt & confirmarunt, adeoque Sys-
 tematice Theologiam tractarunt, & eo modo *ὁρθο-
 τῶν* ab Apostolo mandatam 2. Tim. II: 15. quoque
 observarunt; quod quo tempore & modo primum
 usu venerit, nostrum nunc non est ostendere (s).
 Sufficit, quod omnes qui sobrie & solide sapiunt,
 neque

neque adeo ofores distinctæ cognitionis existunt, ordinis s. methodi certæ necessitatem in Theologia agnoscant (t); agnoveruntque dudum quotquot de methodo Theologiam discendi præcepta tradiderunt (u). Possibilem vero quoque certam veritatum theologiarum coagmentationem in certum ordinem redactarum s. *ὁρίζουσα* (x) esse, omnes quotquot prodierunt *Loci Theologici*, *Hypotyposes*, *Panopliæ*, *Hodosophiæ*, *Panstratiæ*, *Hodomoriæ*, *Breviariæ*, *Enchiridiæ*, *Examina*, *Synopses* & *Institutiones Theologiæ*, seu *Compendia* & *Systemata* vulgo sic dicta, fatis testantur. Quum autem methodi variæ esse possint (y), non mirum Theologos quoque, inde ab eo tempore quo secundum artis regulas tractari cœpit Theologia, in veritatum theologiarum collectione & dispositione, variam secutos fuisse methodum, scilicet vel *Aristotelico-Scholasticam* s. *analyticam*, vel *Causalem*, vel *Catechetica*, vel *Fœderalem*, vel *Historicam* s. *Biblicam*, vel *Comparativam*, vel *Practicam* s. *Ecclesiasticam*, vel denique *Mathematicam* (z). Nostrum nunc non est disquirere, quænam ex his sit convenientissima & optima, quoniam de methodo tantum mathematica brevissimis mentem nostram aperire nobis proposuimus. Dispositionem materiarum s. methodum in se arbitrariam esse existimamus, modo quilibet articuli Scripturæ S. convenienter tradantur, ex illaque rite & solide probentur (a). Neque tamen aliquis facile negabit, eam ex plurimis commodissimam & optimam esse, quæ incommodis premi-

tur paucissimis, rebusque adeo tradendis & captui
 ufuique discentium congruit. Qua methodo, num
 aliquis jam Compendium aut Systema aliquod ad-
 ornauerit? dicant, qui in *Critica Logica* sunt ver-
 sati, adeoque me simul *Bibliognosia* multis parasan-
 gis superant.

(g) De illis qui hoc fecerunt vid. *Buddei* Ifag. L. II. C. I. §. 16. *Ludovici* Hist. cit. P. II. §. 628. *Ribovii* L. cit. §. 159. Num vero in hanc classem quoque aliquo modo hodie sit referendus *A. F. Büfching* qui omnes terminos technicos ex Theologia R. vult proscribere, vid. *S. Mercurius* an. 1756. mens. Aug. p. 92. sq. mens. Decemb. p. 402. & an. 1758. mens. Aug. p. 206. sq. aliorum esto iudicium. (r) Non permittit proposita brevitatis, ea, quæ hac de re in utramque partem disputata sunt, fusius exponere, qui ergo hæc scire avert, legat *Walchii* Relig. Strict. intra Eccles. Luth. P. II. C. V. S. II. §. 23. *Fechtii* Syllog. p. II. sq. & 40. sq. *J. G. Zieroldi* Synops. verit. Divinæ, Art. I. Thes. XIV. (s) Leg. hac de re *Buddei* Theol. Dog. L. I. C. I. §. 52. *Ejusd.* Ifag. L. II. C. I. §. 3-9. *Pfaffii* Introd. cit. P. I. L. II. §. 2. *J. G. Weberi* Præf. ad *L. Reinbardi* instit. Theol. Dog. *Schuberti* Introd. in Th. Rev. §. 347. & 350. (t) Conf. *Fechtii*, *Buddei* & *Ribovii* loca nuper cit. (u) De his vid. *Buddei* Ifag. L. I. C. I. §. 2. *Pfaffii* L. cit. Prolegom. §. VI. p. 33. sq. & 44. sq. (x) De vocis hujus significato vid. *Walchii* Lex. Phil. art. Systema. *Fechtii* Syllog. p. 40. *Büllfingeri* Tract. de orig. mali §. 62. sq. (y) Vid. sis *Buddei* Philos. Instrum. P. III. C. I. & IV. *Walchii* L. Phil. Art. Methode. *Reuschii* Syft. Logicum §. 747-759. *Corvini* instit. Phil. Rat. C. II. Prælim. (z) Vid. *Buddei* Ifag. L. II. C. I. §. 17. & supplem. p. 90. *Walchii* Dissert. de variis Theologiam tractandi methodis,

rhodis. *Kacheri* Consp. Theol. Univ. C. IV. (a) Conf. Rev. *Benzelii* Rep. Theol. Qv. XVII. de Theol. in gen. & *Schuberti* introd. cit. §. 362. Schol.

§. II.

ANtequam vero propositum nostrum plene adgredimur, necesse, inter alia, esse existimamus, ad iudicium rite de methodi hujus usu & abusu in Theol. R. ferendum, in antecessum de ejusdem natura & indole nonnulla eaque palmaria momenta adferre. Requiritur leges dictæ methodi, ne utamur terminis nisi adcurata definitione explicatis, nec principiis aut propositionibus nisi sufficienter probatis, & in quibus subjectum pariter ac prædicatum adcurate determinatum est; In primis autem, ut ea semper præmittantur, per quæ sequentia intelliguntur & adstruuntur (b). Huic jam methodo eum ejus amatores tribuunt usum & prærogativam, ut sine ejus observatione, nullam certam, distinctam & solidam cognitionem obtineri posse contendat (c). Hoc autem quo jure de omni veritate dicatur, ex seq. patebit. Facile vero quisque videt, dum modo veritatum mathematicarum indolem allataque requisita rite perpenderit, neminem jure dicere posse, methodum mathematicam, adcurate s. stricte sic dictam, ab illo statim observari, qui quidem non nisi rite definitos terminos, quantum fieri potest, s. materiæ substratæ indoles permittit, adhibet, omnia quæ adfert, & pro veritatibus certis vendicat, sufficienter ex principiis

legitimis probat, generaliora simul specialibus simplicioraque compositis præmittens, nisi simul veritatum intimam indolem perspiciat, illasque ita semper valeat ordinare, ut nexum (*d*), quæ propositiones antecedentes & subsequentes intercedit, dilucide ubique perspiciat, adeoque ostendere queat, quo modo & in quantum hæ illis innitantur, suffulciantur, ex iisque, instar principiatorum ex suis principiis, sint deducendæ & derivandæ. Prius enim verior Logica ubique observari jubet; quod etiam fieri posse, nemo sanus facile refragabitur. Posterius autem nos etiam valere in omnibus præstare, nemo, qui imbecillæ humanæ comprehensionis plane immemor non est, asserat, ut ex §. V. plenius patefcet. Et quum nos eam tantum proprie vocemus methodum mathematicam, ubi utrumque simul observari potest; nihil luculentius, quam quod illa Scientia, hac methodo proponi s. tractari nequeat, in qua veritatum in illa occurrentium nexum & ad se invicem relationes nos bene introspicere non valemus. Non enim sequitur, illam Scientias tractandi rationem, ubi prius illud membrum duntaxat observatur, aut solum observari potest, quamque sana omnino præscribit ratio, statim vocandam esse mathematicam, quamvis & id observent Mathematici; nisi quis e. g. inepte dicere velit, *supputare idem esse, ac ratione uti, & hinc ulterius concludere, omnia in mundo inde provenire mala, quod homines Arithmeticam ignorant, hoc est recta non utantur ratione* (*e*).

(b) Vid.

(b) Vid. *Wolfii* Commentat. de methodo mathem. Tom. I. Elementorum Univ. Math. præmiss. *Ejusd.* Discurs. Prælim. Logicæ Maj. præmiss. C. IV. *Ludovici* Lib. cit. P. II. C. IV. & *Ejusd.* Kurzer Entwurff einer vollständ. Hist. d. W. Phil. C. IV. §. 46. *J. N. Frobesii* Specim. I. de Mathes. natura & constitut. §. 6. *Baumeisteri* Instit. Phil. Rat. §. 34. (c) Vid. *Wolfii* Comment. cit. §. 52. & Discurs. cit. §. 137. aliique. (d) Datur *nexus duplex, realis & doctrinalis*, vid. *Wallerii* Syst. Met. T. IV. §. 1445. De hac, per quam una veritas, idea atque propositio sui rationem in altera habet, hic loquor. Hæc vero iterum est vel *sufficiens & completa*, dum ex una veritate, idea, propositione, alteram plene intelligere licet, vel *insufficiens & incompleta*, ubi non licet. (e) Ut loquitur *Buddæus* in Mag. L. I. C. IV. §. 34. P. 295.

§. III.

ATque sic breviter exposita hujus methodi indole, nunc etiam, quænam ejus in S. S. Theologia fuerint fata, nonnullis indicabimus verbis. Quis primus hanc methodum in veritatibus theologicis proponendis adhibere conatus sit, equidem non adeo certe dixerim. Etenim *Jac. Carpovius* asserit (f), se methodo nova, nec hætenus recepta Systema suum adornasse, nullumque ei simile, respectu methodi, eousque inventum fuisse; quum tamen alii contendant (g), si non *Gvil. Postellum* (b) jam aliquid ejus modi tentasse, saltem ad finem sæculi præcedentis, postquam *S. Pufendorffio*, ex occasione editæ, hac methodo, Demonstrationis Evangelicæ ab *Huetio*, natum fuit desiderium Syste

ma aliquod Theologiæ hac methodo concinnatum videndi (i), *Henr. Wideburgium* quodam modo id præstitisse (k), adeoque etiam desiderio forsan *Pufendorffii*, licet tum jam denati (l), satis facere voluisse. Quicquid vero hujus sit, postquam nostro seculo Philosophia Leibnitio-Wolfiana florere, methodusque mathematica in omnibus fere Philosophiæ partibus tradendis usurpari cœpit, etiam sæpius nominatæ methodi ad Theologiam Rev. applicatio, varias controversias excitavit. Ab una enim parte *Hanschius*, *Mullerus*, *Reinbeckius*, *Verpoortenius*, *Ablwardius*, *Bülffingerus*, *Carpovius*, *Canzianus*, *Ribovius*, *Harenbergius*, *Bernsauus*, *Büttnerus*, *Wytttenbachius*, *Baumgartenius*, *Pilgerus*, *Stapferus*, *Schubertus*, aliique (m), partim hujus methodi in Theologia defensionem in se susceperunt, partim quoque eadem methodo in omnibus sanctioris hujus disciplinæ partibus Exegetica scil. Dogmatica, Morali, Polemica, harumque usu & adplicatione Theologia Homiletica, libros conscriptos & compositos evulgarunt. Ab altera vero parte *Klausingius*, *Schomerus*, *Andala*, *Langius*, *Færtschius*, *Bertramus*, *Buddeus*, *Rambachius*, *Pfaffius*, *Walchius*, *Fresenius*, *Weissmannus*, aliique, eandem aut ad Theologiam recte apteque accommodari non posse, aut saltim eum ac voluerunt adversarii usum in illa non præstare, contenderunt (n).

(f) In Præf. ad Tom. I. Theol. Rev. Dog. 1737. edit. (g) Vid. *Buddei* Hag. L. II. C. I. §. 17. p. 388. & *Kæheri* consp. Theol. Univ. C. IV. §. 270. (h) E-didit

didit ille Sacrarum Apodixeon, s. Euclidis Christiani Lib. II. Paris. 1543. (i) Leg. Pufendorffii Epist. in Præfatione jam sub not. (m) a me cit. in qua optat ut Huesius ipse ejusmodi opus ederet; hic vero, quo minus id fieri posset, *de très grandes difficultés & presque insurmontables* sibi obstare dixit, in Epist. ad Marchionem de Feuquieres Galliarum Regis eo tempore legatum in Svecia, quæ Epist. quoque reperitur locis in Præf. cit. (k) Edidit is Systema Theol. Positivæ 1698. (l) Diem ille obiit supremum 1694. die 26. Octob. an. ætatis 63. (m) Vid. Ludovici Lib. cit. P. II. §. 432 - 481. P. III. §. 172 - 325. & citat. Furger Entwurff c. §. 113. & 139. ubi a me nominatorum auctorum scripta quoque adferuntur, exceptis eorum quæ ejus ætate recentiora sunt, satisque eruditis nota. (n) Brevitati studens scripta, in quibus aut *ὡς ἐν πικρῶ*, aut ex instituto magis hoc egerunt, excitare nolo; in primis cum illa, quæ de industria hanc rem pertractant, mihi inspicere non licuerit,

§. IV.

TOt tantisque igitur viris inter se contententibus, maxima omnino opus est circumspectione, ne quid aut nimis aut parum dicamus, dum mentem nostram hac de re excutere conamur. Et ut cuivis eo melius patefcat, in quo nostra versabitur opella, liceat paucis quoque monere, nos in præsentiarum de usu atque abusu Mathefeos in S. S. Theologia non agere. Quem ad modum enim Philosophiæ in genere, post ejus semel factam cum Theognosia revelata conjunctionem, usum & materialem & formalem in eadem, nostro in primis

ævo

ævo, concedimus (o); ita etiam Mathesin Theologo egregiam adferre utilitatem, non solum in ingenio & iudicio excolendo, acuendo, attentio- neque in multis augenda (p), sed & in variis Scripturæ S. locis explicandis, illis in primis qui de ponderibus, mensuris & Chronologia agunt, vel etiam Astronomiam tangunt, nec non in variorum irrisorum & empæctarum objectiunculis facilius retundendis, asserimus (q). Adeoque ut ab una parte eos improbamus, qui, nescio quo pædantismo mathematico fascinati, aut Mathesin disciplinam plane divinam vocarunt (r), aut ejus studium Theologiae studio præposuerunt (s); ita ab altera illum a veritate multum abesse quis non intelligit, qui, aut cum *Tertulliano, Lactantio & Prudentio, Mathesin a demone inventam traderet*; aut cum *Augustino* diceret: *Nihil tam contra Christianos esse, quam si arti Matheseos adhibeant curam; hæc enim inimica dignoscitur legi DEI*; aut cum *P. Mirandulano* scriberet: *Nihil magis nocivum Theologo, quam frequens & assidua in Mathematicis Euclidis exercitatio* (t); aut denique cum *Poireto* contenderet: *Mathesin homines fatalismo, stupiditate sive insensibilitate spiritali, brutalismo, incredulitate & præsumptione ferme insanabili inficere* (u). Vehementer quidem dolemus, existisse, qui, haud parva cum audacia, Mathesi in S. S. Theologia abusi sunt, dum aut ad Scripturæ S. asserta impugnanda illam adhibuerunt (x), aut eandem in hac ubique ac in Mathesi evidentiam quærentes, multum a vero aberrarunt (y);

hinc

hinc tamen minime, quod hostes Matheſeos urgent ſequitur. Imo, nec *Steph. Gauſſenum* recte contendiffe, exiſtimamus: *Excellentiſſimum Mathematicum, excellentem Theologum eſſe non poſſe* (z). Eſt quidem demonſtratio mathematica prorsus alius indolis ac theologica, quum in illa evidentia objecti, in hac ſapiffime ſola teſtimonii locum habeat: in illa multum imaginatio valeat, in hac vero magis noceat quam proſit. Quin tamen in ſe poſſibile ſit, ut unus idemque homo, utramque in ſuo foro rite urgeat, nec invicem rerum diverſæ indolis & naturæ conſiderationem confundat, negare non poſſumus; præfertim quum viri utraque ſcientia ornatiffimi, ſ. Mathematici ſat celebres exiſtiterint, haud vulgari eaque ſana veritatum theologicarum notitia imbuti. Neque enim Mathematicus ita imaginationi eſt immerſus, quin rationi ſemper præcipuas tribuat partes. Et, ut illa mathemata verſando creſcit ſ. perficitur, ita multo magis adhuc hæc acuitur.

(o) Vid. meæ Diff. cit. P. II. §. 9. Neque enim meum nunc eſt bellum illud infeliciffimum, quod inter fidem & rationem, religionem & philoſophiam, pietatem & ingenium, inde a primis poſt Apoſtolorum ætatem temporibus exarſit, per omniaque deinde ſecula jam minori fervore ductum, mox iterum inſtauratum, noſtro vero ævo in primis vehementiffime geſtum eſt, fuſius exponere, quum nemo eruditorum ignoret, quomodo hac etiam in teneſtiſſima pugna, mox in defectu, mox vero quoque in exceſſu, ne dicam ſeculis præcedentibus, ſed noſtro etiam ſcientiis adeo incli-

eo, peccatum est. Equidem, si quaestio de eo institueretur: plusne utilitatis an decrementi inde S. S. Theologiae accessit, quod Philosophia cum illa conjungi coepit? verbis non meis, sed magni *Mosheimii* in *Instit. Hist. Eccles.* p. 72. respondere liceat: *Etebor huic quaestioni dirimenda me haud sufficere. Amissa enim est, vitata saltem, multis in locis nobilis illa simplicitas, gravisque dignitas religionis Christianae, postquam dogmata sua cum ea conjungere philosophi, atque fidem & pietatem ad rationis revocare regulam ausi sunt.* (p) Conf. *Wolfii* Praef. ad *Comment. de meth. math.* *Ejusd.* Praef. ad *G. F. Hagen* *Meditat. philos. de meth. math.* *Frobessii* *Comment.* cit. §. 3. & *Wallerii* *Psychol. Emp.* §. 126. (q) Vid. *Buddei* *Isag.* L. I. C. IV. §. 34. p. 299. seq. *Rambachii* L. cit. Lib. III. C. IV. §. 6. *Reinbeckii* Praef. ad P. II. *medit. in Aug.* Conf. §. 35. *Jacheri* *Supplem. ad Schmidii* *Comp. Hist. Eccles.* p. 795. seq. (r) Quod fecit *B. Keckermannus* in *Syst. Theol.* L. I. C. IV. p. 85. (s) Imo ipsam Scripturam S. per *Euclidem, Aristotelem & Theophrastum* explicandam esse voluerunt, vid. *Stockmanni* *Lex. Hæres. art. Artemonitæ.* (t) Vid. *Frobessii* *Comment.* cit. §. 5. *Stollii* *Introd. in Hist. Lit.* P. I. C. VII. §. 2. & 19. *Heumanni* *Consp. Reip. Lit.* C. V. §. 6. not. g. (u) Vid. ejus *Lib. de Erudit. solida, superfl. & falsa* L. III. §. 65. (x) Comprobant hoc illi qui e. g. in arca Noachi & mari aneo templi Salomonis varia *ἀτόμα & ἀγενήματα* specimina se invenisse putant, vid. *Buddei* *Hist. Eccles.* V. *Test.* T. I. *Per.* I. S. II. §. 2. p. 140. seq. & T. II. P. II. S. III. §. 24. p. 203. seq. (y) Vid. *Walchii* *Relig. Streit.* intra *Eccles. Luth.* P. V. C. V. S. IV. §. 56. seq. *Alt. Hist. Eccles.* T. I. in *append.* p. 3. (z) Vid. Verba ejus fusius allata in *Rambachii* L. cit. L. III. C. IV. §. 7. p. 471.

§. V.

Sed ex hoc diverticulo in viam redeamus. Neminem de eo, num veritates theologicæ eadem ac mathematicæ & philosophicæ tractari possint methodo, adcurate sententiam ferre posse existimaverim, nisi harum veritatum indoles bene ipsi sit perspecta. Ratio igitur instituti postulat, ut priusquam nucleum rei præsentis tangamus, nosque totos hinc expedire studeamus, etiam in naturam harum veritatum paullo penitius inquiramus. Quamvis rationem post deplorandum lapsum debilitatam, obscuratam, imo ipsas tenebras, quod ad mysteria fidei attinet, esse animitus doleamus, *1 Cor. II: 7. 2 Cor. IV: 4. Eph. IV: 18. V: 8. 1 Tim. VI: 5.* ejus tamen ope multas adhuc easque eximias veritates sciri posse, nemo secum habitans negabit (a). Sunt autem istæ veritates ita comparatæ, ut una semper rationem sui sufficientem agnoscat in altera, s. inter se connectuntur, saltim possunt & debent connecti; quem etiam nexum nos plene & sufficienter in multis introspicere valemus, licet in aliis haud raro nobis maneat impervius (b); mysteria enim naturæ dari, quis inficias ibit (c). Quum vero veritatum sub sphæram rationis cadentium una cum altera connectatur, patet easdem philosophice demonstrari, s. earundem fundamentum immotum ex inconcusis principiis rationis peti & deduci posse. Quod ut adhuc distinctius & plenius intelligatur, placet rem paullo altius repetere, adeoque observare, om-

mnem *evidentiam* aut esse *mathematicam*, quæ ex sola serie conceptuum & cogitationum nostrarum, absque attentione ad objecta extra intellectum posita, deducitur; aut *moralem*, dum conceptus nostri cum rebus extra nos positis conferuntur; hancque iterum triplici fundamento niti, nimirum, 1) sensibus externis striete loquendo, 2) testimonio aliorum hominum, 1) *Joh. 1: 1, 2. & 3*) analogia quadam. Quod jam ad illas res, quas morali evidentiâ veras esse novimus, attinet, haud difficulter quisque perspicit eas, etsi sæpe pari certitudine cum veritatibus mathematicis gaudent (*d*), striete loquendo demonstrari, s. ex assumpto quodam nexu concatenato deduci non posse, ut veritates *Metaphysicæ*, *Theol. Naturalis*, *Juris Naturæ*, & *Geometricæ*, &c. quippe quæ pro principiis demonstrandi indubitatis agnoscunt definitiones, quarum possibilitas est extra controversiam posita, axiomata, postulata & propositiones identicas atque antea ex ejusmodi principiis indubitatis probatas. Licet enim veritates, e. g. *physicæ* & *historicæ* etiam aliquo modo cohæreant s. connectantur, illarum tamen nos unam ex altera serie concatenata eruere non valemus, ut *geometricas* & *metaphysicas* &c. Unde ad oculum patere existimaverim, nec easdem methodo *mathematica* proprie & striete sic dicta proponi posse; neque enim veritatum, experientiæ externæ innixarum, internam naturam, modum possibilitatis, & nexum, ita ac *mathematicarum* inspicere valemus. In il-

lis autem veritatibus philosophicis proponendis, quæ evidentia gaudent mathematica, laudata methodus omnino adhiberi potest, maximoque cum commodo adhibetur; neque propterea in his aut *puerilis* (e), aut *jejuna* (f) eadem adpellanda est; quam quoque methodum hæ philosophiæ partes non mutuuntur a Mathesi, sed eodem modo ac Mathesis ex veriori Logica hauriunt (g). Atque vel hinc jam simul adparet, saltim non omnem evidentiam aut certitudinem cognitionis nostræ ex methodo mathemat. dependere, ut volunt rigidi hujus methodi defensores (§. II.). Quid? quod contra ea notum sit, posse hanc methodum, aliquo modo ad varios quoque errores incrustandos adhiberi, ut exempla *Spinozae*, *Poireti*, *Craigii*, *Dippelii*, *J. L. Schmidii*, *I. Krantzovii*, aliorumque, factis proh dolor! comprobant. Et certe eo facilius cuivis infantiæ involvendæ & propagandæ hoc pallium aptum esse videtur, quo pauciores sunt, qui errores sub ista veritatis larva fraudulenter propinatos discernere valent. In longa demonstrationis serie, hypothesibus & præcariis principiis furtim & subtiliter assumtis, facillime errores dolose inferi posse, experientia tristis abunde docet (h).

Quod vero ex altera parte jam ad veritates eas attinet, quas revelatio nobis tradit, sunt illæ vel ejusmodi, ut earum nec existentiam, nec possibilitatem ratio humana perspiciat, *mysteria majora* s. *primi ordinis* ideo dicta 1 *Tim. III: 16.* vel etiam talia, ut, revelata earum existentia, modum

possibilitatis, saltem aliquo modo, intelligat, hinc *minora* s. *secundi ordinis* adpellata 1 *Cor. II: 7. (i)*; utraque uno *articulorum purorum* nomine insigniti, probeque ab *articulis mixtis* discernendi. De duplici autem articulorum fidei nexu sermo institui potest. Aut enim quæritur de illorum cum dictaminibus rationis harmonia & connexione, aut eorundem nexu inter se. Quod prius spectat, tenendum: articulos puros connexionem tantum aliquam, insufficientem s. incompletam, cum dogmatibus rationis connecti & copulari (*k*); quod fateantur necesse est omnes, qui cum Socinianis aliisque rationis admiratoribus, mysteria ex S. S. Theologia profano ausu proscribere, & in veritates philosophicas stulta metamorphosi transformare, s. ipsissimum crassum Naturalismum defendere nolunt; articulos autem generales s. mixtos harmonia & positiva & negativa cum veritatibus philosophicis cohærere, haud secus ac harum veritatum una in altera rationem sui agnoscit, adeoque sufficienti connexionem inter se combinantur (*l*). Circa posterius vero momentum concedimus omnino & urgemus mysteria invicem, in infinito intellectu DEI, omnium scientiarum immenso pelago, cohærere; Eumque, ut omnis veritatis auctorem, ita omnium quoque mysteriorum ambitum unico & simplicissimo actu distinctissime perspicere, sufficientissimamque intueri connexionem, eodem modo ac nexus mysteriorum cum veritatibus philosophicis illi maxime est perspectus.

Ast

Ast nos homunciones, quem ad modum nexum inter myſteria & dogmata rationis non valemus inſpicere & evolvere, ita nec noſtræ, hac in mortalitate (*m*), eſt comprehensionis per omnia oſtendere, quo modo aut quo pacto, poſt divinitus nobis benigniſſime conſeſſam revelationem, unum myſterium in altero rationem fui habeat, in illo fundetur, eo fulciatur, indeque ſequatur & derivari queat, inſtar principiati ex ſuo principio, *Sap. IX: 16, 17. 1 Cor. I: 19, 20. III: 19.* Revelavit quidem benigniſſimum Numen nobis omnia, quæ ad ſalutem creditu & factu neceſſaria ſunt, *Job. XVII: 3. XX: 31. 2 Cor. IV: 5.* imo & alia, quæ ad hunc finem conſequendum præciſe non requiruntur; ſed non tamen aperuit, partim quoniam humana mens ejuſmodi cognitionis non fuit capax, partim quoniam id opus non fuit, quia myſteria credi non ſciri debebant, *Ebr. XI: 1. 1 Cor. II: 4, 5.* quo modo aut ex uno myſterio, omnia, priſtinam noſtram integritatem, lapſum, & ſalutis deperditæ reſtaurationem, acquiſitorumque bonorum in nos adplicationem, concernentia dogmata profluant, atq; nexu concatenato deduci & erui queant, aut etiam in quantum unum myſterium ex uno vel pluribus dependeat; adeo ut jam intime omnium myſteriorum ad ſe invicem relatio & dependentia nobis pateret.

Sed inquis: datur omnino *analogia fidei*, quæ *nexum veritatum ad ſalutem neceſſariorum denotat* (*n*), adeoque duo ſub ſe comprehendit; ſcilicet, 1) ut ipſas veritates revelatas ad
ſalutem

salutem necessarias recte cognoscamus, & 2) ut earum nexum perspiciamus (o); quoniam igitur analogiam fidei nobis notam habemus, nonne etiam mysteriorum connexionem introspicimus, simulque, qua ratione unum eorum ex altero pendeat, & instar principii ad suum principiatum se habeat, intelligimus? Ambabus, ut loquuntur, non solum largior manibus, sed & urgeo, ἀναλογίαν τῆς πίστεως dari, eamque unicum principium legitimæ interpretationis Scripturæ S. esse, *Rom. XII: 6. 2 Tim. I: 13.* hinc tamen non ejusmodi quid sequi, ac urgent adversarii, existimaverim. Etenim dum Theologi, quibus methodus hæc demonstrativa non placet, analogiam fidei per harmoniam, conformitatem, concentum & nexum articulorum fundamentalium definiunt (p), nihil aliud quam amicissimum, mutuum & perpetuum harum veritatum, ab uno auctore principali, sibi minime repugnanti, proficiscentium consensum, in primis respectu finis, gloriæ scilicet divinæ & salutis animarum, intelligunt, ad quos fines obtinendos, singula dogmata, suo modo, svaviter conspirant; adeoque quicquid hisce finibus, modo a DEO in planissimis Scripturæ S. locis præscripto, obtinendis obstat & repugnat, analogiæ quoque fidei contrariari censetur. Minime vero contendunt, ideo, quia summam cœlestis doctrinæ de fide & charitate f. analogiam fidei, ex maxime perspicuis Scripturæ S. locis, nobis perspectam habemus, mysteriorum connexionem, modo antea exposito, nobis

bis patere. Et certe non nostræ comprehensionis, sed infiniti DEI intellectus est, ita mysteriorum nexum rimari, ac veritatum mathematicarum metaphysicarumque &c. connexionem ratione animoque iustramus. Etenim, quis quæso hominum asserat, quodnam mysterium e. g. sit omnium primum, unde reliqua in S. S. Theologia serie concatenata deduci queant? Dic amabo, quodnam mysterium est principium, unde S. S. Trinitatis mysterium tanquam principiatum dependeat; aut enarra fodes, ex quo principio actiones DEI ad intra personales tanquam principiatæ sint deducendæ; vel unde ratio creationis sex dierum est petenda; vel in quo denique mysterio ratio continetur, cur secunda divinitatis persona *μείων* inter DEUM & homines factus sit? cetera ut taceam. Imo ipse *Carpovius* Theologiam Rev. ex assumpto uno, quod Scriptura S. nobis suppeditat, demonstrari posse negat, dum nonnullarum thesium theologiarum rationem a priori dari non posse, s. nos interdum nexum illarum perspicere non valere profitetur, sed in sola effati biblici auctoritate infallibili, ob ejus evidentiam, nobis acquiescendum esse, recte fatetur (*q*); licet contrarium sentiat *Ribovius* (*r*). Satis igitur jam ex allatis indolem demonstrationis theologicæ, ejusque a philosophica differentiam, patescere existimaverim. Ut enim in demonstratione philosophica, rerum præcipue evidentia mathematica gaudentium, unam veritatem ex altera serie continua derivare valemus, ita

e contrario in Theologia omnis certitudo ex infallibili DEI in Scriptura S. testimonio dependet; cujus testimonii aliquando rationes ex aliis reddere nobis datum est, multoties vero solo effato DEI contenti esse debemus, licet non intelligamus, qua ratione hæc veritas cum aliis cohæreat & connectatur; eodem fere modo, ac in Physica certum demonstrandi principium constituunt experientiæ indubitatae, quamvis, quo modo una experientia ex alia concipiatur s. sequatur, ipsique ut præmissæ suffulciatur, saltim semper non perspiciamus; imo sæpe plurimum de una eademque re experientiarum inter se connexionem ignoremus. Quivis ergo, ea, quæ breviter disputavimus, vel leviter perpendens, clarissime jam videt & ultro fatebitur, certitudinem in Theologia a methodo eandem tractandi non dependere, quod tamen crepant, saltim quoad partem, adversarii cum quibus hic nobis res est. Quocunque enim ordine articulos fidei disponas, modo omnia rite ex Scriptura S. demonstras, certitudine sua infallibili princeps hæc scientia gaudet. Neque enim existimandum est, methodum mathematicam illis aliquam certitudinem conciliare, nisi unum quodque dogma, regulis interpretandi convenienter, ex Scriptura S. probetur. Et quamvis quoque hoc fiat, non tamen dogmata in se certiora sunt, penes hujus methodi æmulos Theologos, quam in Systematibus antiquorum methodo cumulativa conscriptis. Imo dicere auserim, plus veræ demonstrationis theologicæ penes

Luthe-

Lutherum, Chemnitium, Gerbardum, Dannhaverum, Calovium, Spenerum (s), Fechtium, aliosque ejusmodi Ecclesiæ Lutheranae primipilos inveniri, quam in recentiorum, qua methodum novaturientium, laboribus, in quibus plus fere demonstrationis philosophicæ quam theologicæ comparet (t).

(a) Vid. *mea Diff. cit.* P. II. p. 42. sq. maxime vero impie nomine suo indignus *Edelmannus* ex ratione DEUM facit, eoque modo profane prorsus explicat *Job. l. 1.* vid. *Alt. Hist. Eccles. T. XII. P. LXVII. p. 126. sq.* (b) Conf. *Gezelii Disp. De Consensu rationis & fidei, p. 2.* Aboæ 1744. & *Wallerii Psychol. Emp. §. 288.* (c) Vid. *Walchii* Introd. in *Philos. L. III. C. 1. & II. & Mag. Laur. Steenbäck's Disp. de mysteriis naturæ, Aboæ 1736.* (d) Vid. *Dittons Lib. cit. Part. II. C. 1. & in primis C. VI. Sats V. VIII, IX. Huetii Demonstr. Evang. Præf. II. §. 3.* ubi pluribus ostendere conatur, principia demonstrationis moralis evidentia & certitudine non cedere principiis geometricis; imo certo respectu illis præstare. (e) Ut vult *Genzkenius*, vid. *Bertrami Lib. cit. sub not. (r) in seq. p. 177.* (f) Est hæc adpellatio *Barbeyracii* in exam. epist. censoriæ *Leibnitii* super *Pufend. Lib. de off. H. & C. §. 1. p. 438.* edit. *Barbeyr.* (g) Conf. *Wolffii Log. Maj. Disc. Prælim. C. IV. §. 139. not.* (h) Conf. *C. Vitringæ Comment. in Esa. Cap. LIX: 5, 6. Tom. II. p. 915.* (i) Conf. *Schuberti* Introd. cit. §. 352. & 354. (k) Conf. *Canzii* usus *Phil. Leib. & Wolf. in Theol. T. I. C. I. Prælim. §. II. & N. Wallerii* Disp. de indole *Prænot. Theol. §. 1. p. 5. & 6. Ups. 1751.* in primis vero *Ejusd. Syst. Met. T. IV. §. §. 1470. 1471.* (l) Conf. *sis mea Diff. cit. P. II. p. 47.* (m) Num intellectu cœlesti gloria vestito, ea aptissime inter se combinare queamus, quæ hic hiatibus interstincta sunt, ne-

mo facile dixerit, licet valde hoc videatur probabile *1. Cor. XIII: 9, 10, 12.* Qui fufius controversias & mentem eruditorum de differentia, ut beatitudinis in genere, fic & in fpecie cognitionis hujus & futuræ vitæ fcire avet, legat, inter alia, *Walchii Relig. Streit.* intra *Ecclef. Luth. P. I. C. V. §. 107. P. II. C. V. S. II. §. 37. J. A. Kromayeri Comment.* in *Aug. Conf. p. 542. fq. Leibnitii Theod. §. 23. & M. Waldike Comp. Theol. Thet. Thes. 19. not. Schnabel.* (n) Vid. *Carpovii Theol. Rev. Dog. T. I. §. 334. Canzii Lib. cit. T. I. C. II. §. 18. Schuberti Introd. cit. §. 300.* (o) Vid. *Carpovii L. c. §. 336. & Wolfii Cogit. Rat. de virib. intell. hum. §. 235.* (p) Vid. *Gerhardi Loc. Theol. de interpretat. Scripturæ S. C. IV. §. 71. & Exeg. art. de Script. S. C. XXV. §. 531. Budæi Theol. Dog. L. I. C. I. §. 35. Rambachii Lib. cit. L. II. C. I. §. 2. Waldike Lib. cit. Thes. 13. aliique.* (q) In *Præf. cit. & Lib. cit. 334.* (r) Vid. *Lib. cit. 73 - 78.* (s) *Conf. Heumannii Consp. cit. C. IV. §. 60. p. 180. not.* (t) *Joh. F. Bertramus in abgedruckene Abferdigung einiger Wolffifchen Hift. und Legenden Schreiber §. XIX, p. 51. inquit: Wo find aber die Wolffifche Theologi, die durch die Gaben, fo ihm die Wolffifche Weltweisheit mittheilet, den Budæis, Langis, Marpergeris, Læfcheris, Walchius, Rambachius, Franciskus, Porstius, Antonis, Speneris, und vielen andern, es zuvor, ja nur gleich gethan haben? Was hat die Theologie aufzusweisen, davor fie fich Herrn Wolfen und feine Weltweisheit verbunden und pflichtbar erkennen müße?*

§. VI.

Sic tandem, fingulis, quæ ad scopum facere videbantur, levi brachio excuffis, expedita nobis
via

via est, ad sententiam nostram, de præsentī materia, ingenue proferendam. Sedet vero nobis hæc mens; ut, cum methodus mathematica strictè sic dicta requirat, ut nexum veritatum semper distinctè introspicere, adeoque qua ratione & in quantum una propositio in altera fundetur, & ex illa dependeat, ostendere queamus (§. II.), veritates vero theologicæ ita sint comparatæ, ut hoc in omnibus præstare nostrarum non sit virium (§. V.), nec Theologiam Rev. adcurate hac methodo tractari & concinnari posse, neque igitur a quoquam hætenus rigide demonstratam esse, aut in posterum demonstrari posse, contendamus (u); unde simul quid de istius usu in Theol. Rev. dicendum sit, satis adparet. Cum enim ne quidem methodus ipsa strictè huc applicari queat, facile patet, ejusdem quoque nullum hic esse usum; adeoque hic fere valere vulgatum illud: *Non entis nulla sunt prædicata positiva*. Si autem latiori sensu methodus mathematica illa dicatur, quando non solum succinctis & adcuratis, h. e. logicis utimur definitionibus, rite singulas propositiones ex legitimo fonte demonstramus, faciliora difficultibus, simpliciora compositis præmittimus; sed &, quousque fieri potest, nexum inter has veritates, ope rationis per revelationem collustratæ, indagamus, tum faciles concedimus, Theologiam Rev. hujusmodi mathematicæ æmula methodo concinnari posse, idque recentiores, antea allatos, Theologos quodam modo præstitisse. Sed alia quæstio

est: utrum hæc, mathematicæ proprie sic dictæ æmula methodus, usum aliquem Theologiæ Rev. adferat? de qua vides viros ingenio, eruditione, & pietate conspicuos, in diversum trahi. Nos, etiam si admitteremus, aliqualem utilitatem eandem, propter naturalem quem observat cogitandi ordinem, distinctos & adæquatos quos semper urget adhibendos esse terminos, & soliditatem quam in primis jubet sectari, eidem adferre; nunquam tamen illius tantum esse usum, ac urgent adversarii, concedere possumus. Etenim, 1) methodum in se nihil ad certitudinem dogmatum in Theol. Rev. facere ostendimus (§. V.). Posunt etiam 2) hæctenus a Theologis communitè usitata methodo cumulativa, definitiones accurate secundum Logicorum præcepta tradi, omnesque propositiones solide ex Scriptura S. probari. Frustra omnino 3) crepant, per hanc methodum controversias ex Theologia tolli, vel saltem minui. Ne una quidem controversia, ejus ope, adhuc composita est, verum potius novæ accesserunt. Ut enim taceam illam, de qua in præfenti agimus; quis ignorat, nimium illum usum terminorum & definitionum philosophicarum, de quibus tamen multis nondum convenerunt eruditi, & quorum nihilo minus usurpandi necessitatem hæc in primis methodus imponit, lites peperisse (x); aut quem latet, Theologos, qui hac methodo utuntur, opinionibus suis etiam controversias excitasse? Notæ namque sunt controversiæ

sæ Carpovii, de peccato in Spiritum Sanctum, de
 satisfactione pro *ansia* finali &c. Nec latent *Schu-*
berti itidem de peccato in Spiritum Sanctum, &
 verbi divini efficacia &c. ut alias horum aliorum-
 que lites sicco præteream pede; quoniam ex dictis
 satis emergit, method. mathematicam nunquam
 in Theologia Rev. eam gignere posse certitudi-
 nem & evidentiam, ac in Mathesi, nisi & princi-
 pia æque evidentia adhibeantur ac hic; quæ vero
 frustra ibi quærentur. Unde simul quoque liquet,
 cur nominata methodus, nec ex illis philosophiæ
 partibus, in quibus adhiberi potest, omnes contro-
 versias tollere valuerit. Et cui quæso 4) sæpius
 nominata methodus usum illum præstabit? non e-
 nim incipientium & simplicium captui videtur es-
 se adcommodata s. conveniens; idiotæ namque
 difficillime veritates universales & definitiones ge-
 nerales capiunt (*y*), nexumque veritatum longa
 serie continuatum introspiciunt; quod ex adversa-
 riis quoque concedit *Carpovius* (*x*), quamvis con-
 trariam hic iterum foveat sententiam *Ribovius* (*a*),
 dum discientium commodis, illos, qui hanc metho-
 dum præoptant, multis modis prospicere, existi-
 mat. Et quis negabit, Salvatorem, Apostolos, a-
 liosque ante nostrum seculum existentes Theolo-
 gos, feliciter rudibus veritates ad salutem scitu
 necessarias inculcasse? Vel quam tandem utilita-
 tem eruditis adferet? Nonne ante usitatam hanc
 methodum, omnium consensu, eruditissimi solidis-
 simique exstiterunt Theologi, recentioribus hujus
 metho-

methodi amatoribus omnino præferendi? Sed dicis forsan, 5) optime hac methodo illi objectioni occurri posse, qua empæctæ garriunt, rationem ad nexum in Theologia perspiciendum quasi sepultam esse, cum in aliis tamen disciplinis eundem perspicere detur, adeoque illam his, hoc in puncto, inferiorem esse; conducere igitur, ut ad hanc objectionem diluendam, & ad Naturalismo quoque per consequens, quodam modo, obicem ponendum, nexus veritatum revelatarum, ope hujus methodi, illis ob oculos ponatur. Resp. tantum pro dolor! abest, ut, post adhibitam hanc methodum a multis in Theologia, numerus Naturalistarum aliorumque profanorum hominum fuerit imminutus, ut potius accreverit (*b*). Et quis ignorat, ipsum *Carpovium*, aliosque hujus methodi in Theologia sectatores, Naturalismo subtiliter favere. Neque enim aliquis existimet, methodum in Theologia aliquid ad Naturalistas debellandos facere; nam, nisi, ex Prænotionibus Theologicis, primum de divina Scripturæ S. origine convincantur, dogmata omnino theologica risu & sibilo excipiunt, methodo quacunque proponantur (*c*). Potius ergo ejusmodi cavillatoribus ostendendum est, ipsam indolem mysteriorum, in Theologia comprehensorum, requirere, ut nexum eorum inspicere non valeamus (§. V.); hocque de præstantia & sublimitate eorundem testari, nostramque erga eadem reverentiam excitare & augere debere; dum e contrario, si omnia comprehenderemus,

deremus, sancta hæc dogmata, saltem apud multos, vilescerent. Nostrum est ea, quæ, ex infinita misericordia, omnis boni *Auctor* nobis revelavit, simpliciter credere, licet quod ad nos, infantum more de his balbutientes, evidentia objecti in multis careant, s. nexu concatenato, æque ac veritates rationis, proponi & tradi nequeant; secus enim non majorem DEO, quam cuivis suspecto auctori, fidem habemus. Placuit DEO *διὰ τῆς ἀπειρίας τῆς κηρύσσας* *σωσῆαι τὰς πιστεύοντας* 1. COR. I: 21. In voluntate igitur Ejus acquiescamus, Ipsique infinitas semper agamus gratias. Nobis incumbit, ne dicam convenientius esse, ut ad simplicem, a DEO observatum, has veritates tradendi modum nos applicemus, quam easdem ad quæcunque excogitatum methodum & genium seculi exigere & aptare studeamus.

(u) Bene omnino *Fresenius* in *Pastoral-Sammlung*. Part. V. p. 263. not. inquit: Ich halte die demonstrativische Lehr-Art an sich vor gar heulich und unverwerfflig, sie hat, wenn sie nicht gemißbraucht wird, ihren grossen nutzen; schädlich aber wird sie, wenn sie zumal in Wahrheiten welche sich auf die Göttliche Offenbarung gründen, übertrieben wird. Die lassen sich nicht mit dem Circel abmessen. Ein Geheimnis kan nicht mathematisch demonstrirer werden, sonst wäre es kein Geheimnis. Wir können die verknüpfung der Begriffe darinn nicht einsehen. Das π wissen wir wohl; aber nicht das $\pi\alpha\varsigma$. (x) Possit hoc exemplis plurimis comprobari, sed sufficiat vel hoc unicum, scil. controversia inter *Carpovium* & *Clugium* de nihilo, vid. *Carpovii* Theol. Nat. Dog. §. 908. Schol. Non incommode me huc ea applicare vi-

deor, quæ argute protulit *Menckenius* in *Declamat. de Charlat. erud.* p. 161. *Tum & novam, inquit, de nihilo doctrinam, si diis placet, utilissimam construunt, & nunc cum Demonio de quarta parte nihili argute philosophantur, nunc cum Bowellio de plusquam nihilo vasta volumina conscribunt.* Bene quoque cecinit *Propertius: Maxima de nihilo nascitur historia.* (y) Conf. *Fechii Instr. Pastor. C. XI. §. 3. p. 106.* (z) In *Præf. cit.* (a) Vid. *L. cit. §. 164.* (b) Nolo tamen rædiosam illam controversiam meam nunc facere, num, vel in quantum malum hoc nostri seculi philosophiæ Leibnitio-Wolfianæ sit adscribendum? vid. *Walbii Relig. Streit. intra Eccles. Luth. P. V. C. V. S. IV. §. 70. sq. Ludovici L. cit. P. II. §. 516. sq. Bertrami L. cit. §. 19.* quamvis hoc jam extra dubium positum sit, illam Naturalismo apertam pandere viam, vid. *Wallerii Syft. Met. T. IV. §. §. 1470. 1471. Ejusdem Psychol. Rat. §. 156. & Disp. antea cit. de indol. Prænot. Theol. §. XIV. p. 44. not. (a).* (c) Conf. *sis. S. Mercurium An. 1756. Mens. Jan. p. 408.*

§. VII.

Postquam jam mentem nostram, de usu methodi mathematicæ in Theologia Rev. aperuimus, superest, ut ultimo, in quo, aut quo modo abusus ejusdem se ibidem præcipue exferit, paucis quoque exprimamus. Cum ipsa methodus proprie ad Theologiam adplicari nequeat (§. VI.), adparet 1) inter abusus, rei in suo foro optimæ, annumerandum esse, quando illa, nescio ex qua aut cæca & nimia erga intellectum occæcatum confidentia, aut fastu & pruritu demonstrandi, istuc quasi per crines infertur, sicque nimium philosophiæ Theologiæ admiscendo,
si non

si non species aliqua ipsius Naturalismi defenditur, saltem proxima ad eundem via aperitur. Et quem ad modum jam observavimus (§. V.), posse hanc methodum ad profana etiam dogmata inculcanda adhiberi, ita si quis illa eum in finem in Theologia uteretur, vehementer 2) ob ejus abusum taxandus esset. Porro abusus hujus methodi maximus 3) est, ea, in Theologia, ope ejus, ex principiis rationis, deducere velle, quorum notitia omnem transcendit humanæ comprehensionis vim, s. mysteria, quæ non sunt objecta scientiæ strictissime sic dictæ (*d*), mathematice demonstrare conari (*e*); adeoque aperte Naturalismo viam pandere. Etenim, multæ aliæ res in Theologia debent pro veris haberi, quam quæ cum Mathematicorum demonstrationibus de claritate & evidentia certant. Quare & frustra prorsus aliquis, res in se incomprehensibiles, quæ solum propter evidentissimum DEI testimonium creduntur, rationis decempeda metiri adgreditur, sicque pessime, cum profanis hominibus (*f*), fidem historicam rejicere, non veretur (*g*). Eo deinde nomine 4) hæc methodus, ad Theologiam traducta, in abusum vergit, Theologorumque eam sectantium propositum probari nequit, quod, quamvis adeo crasse, ac modo reprehensi, materiam ex philosophia in Theologiam inferre, religio ipsis sit, subtiliori tamen magis via, præter formam, materiam quoque eidem, conatu nunquam a piis Theologis probato aut probando, ingerunt; dum illam totam terminis & definitionibus, sæpissime ambiguis, nec non

demonstrationibus philosophicis implent, adeoque eandem in philosophiam quandam christianam transformant, primam ejus puritatem & simplicitatem, ab ipsis Doctoribus *Εσθητικῶσι* amatam, inquinant, reverentiam, quam ratio Religioni Christianæ non conciliavit, eidem detrahunt, gravemque dignitatem vitiant & minuunt. Non quidem nego, in Theologia licitum, imo aliquando utile & necessarium esse, thesi rite ex Scriptura S. demonstrata, rationibus etjam philosophicis eandem comprobare, si dogma sub sphæram rationis cadat, modo id caute, prudenter & parce fiat; minime tamen horum Theologorum mihi probatur methodus; videntur enim Scripturæ S. cum ratione consensum & conformitatem probare, cum contrarium tamen potius ostendere deberent (*b*). Sed, *est humana ratio, ubi divina tractat, sæpe instar normæ Lesbicæ non se ad res, sed, contra quam oportuit, res ad se exigit & adcommodat*, ut vere conqueritur *Steph. Gaussenus* (*i*). Et denique, quem ad modum in philosophia, sic quoque *5*) in Theologia abusum hujus methodi dicimus, dum omnes termini, ex vulgari & communi etiam usu, inter homines optime noti, nimis anxie, &, ut ita dicam, pædantice definiuntur (*k*), adeoque, eo modo, citra necessitatem limites scientiæ extenduntur.

Hi quidem nobis præcipui videntur methodi demonstrativæ abusus esse, in Theologia Rev. Dogmatica, ut & Morali. Antequam tamen colophonem huic


huic opellæ imponimus, duos adhuc nobis liceat, eâ
 jusdem methodi abusus specialiores, atro notare car-
 bone. Primo scilicet, illum turpiter omnino & ne-
 quitissime hac methodo abuti asserimus, qui eandem
 ad Theologiam Exegeticam adplicare, & ejus ope,
 impio ausu, parallelismum inter Scripturam S. Vet.
 & Nov. Testamenti tollere, apertissimaque Vet. Te-
 stamenti effata & vaticinia, de Trinitate & Christo,
 fugillare, s. perversissime explicare ea propter adgre-
 ditur, quia loca hujusmodi Vet. instrumenti, in pri-
 mis in scriptis Mosis, plene a nobis, sine notitia
 N. Testamenti Librorum, intelligi nequeunt, quum
 tamen methodi hujus legibus repugnet, anteceden-
 tia ex sequentibus explicare (l). Deinde etiam secun-
 do, nihil minus quam laudandos illos esse ducimus,
 qui, in divinis eloquiis pro concione exponendis, a-
 nimoque ingerendis, hanc methodum adhibent, præ-
 fertim, si nullo habito auditorum respectu id fiat.
 Quod enim vere dixit *Pfaffius* (m): *Fieri subinde so-
 let, ut homines eruditi sint pessimi Ecclesiarum mini-
 stri*; id facile huc adplicatur, peritissimos nimirum
 methodi mathematicæ magistros, pessimos verbi di-
 vini ministros esse, si eandem ἀνεπιστημιαν in rudi ple-
 be erudienda observare velint (conf. §. VI. 4.).
 Apposite igitur *Bertramus* (n), sacerdotes hac me-
 thodo concionantes, *Cathel-Secken* vocat. *Ita se-
 peliunt Christum* (o).

Faxit clementissimum Numen, ut verbum Ejus,
 nullo pretio æstimandum, pure secundum voluntatem

Ipsius, ad finem usque seculi doceatur, sic enim salus animarum promovetur, & obtineri potest, Eique soli summa & sempiterna accedit gloria!

(d) Bene, qui alias in multis pessime, de mysteriis ait notissimus dubitandi magister *Baylius* in *Diſt. Hiſt. & Crit. Eclairciſſement ſur les Manicheens: Leur caractère eſſentiel eſt être un objet de foi, & non pas un objet de ſcience.* (e) Hoc, irrito conatu, de mysterio Trinitatis, adgreſſi ſunt *Keckermannus, Poiretus, Joach, Georg. Davies;* de mysterio incarnationis *Joach. Hartmannus, Carpovius, And. Weberus,* aliique. Sed de his merito diceres illud *Bertrami* L. cit. §. 52. *Daß heißt etwa methodo mathematica - - lügen.* (f) Vid. *Aſt. Hiſt. Eccleſ. T. IX. P. LI. p. 441. ſq.* (g) *Præclarum eſt illud Vitringa: vellem ſane, ut ea eſſet ſimplicitas & humilitas noſtra faci, ut qua ex ſcripturis elare & aperte a nobis intelliguntur, a quacunque humana ratiocinatione non turbarentur. - - Certe ſi introducendum ſit, non percipio, ergo non credo, quid credi tres eſſe unum.* vid. *Walehii Relig. Streit. extra Eccleſ. L. P. III. C. IV. S. I. §. 36. p. 463.* (b) Placent quo ad ^{prolegomena} partem quæ diſſerit *Giörnell* in *S. Mercurio*, l. antea cit. Kan et tydeligare bevis på förtroende til et förmörkat förſtånd i Andeliga ſaker och föracht för GUDs uppenbarade ord vara ån det, at ſkrifwa Theologien ſom en Metaphyſica, härleda allt af förnuſtets principier, ſöka förklara alla hemligheter, och ſedan allt i S. är beſeglat med det Philoſophiſka Ålmen: *Quod erat demonſtrandum,* anförer man likſom för höſtighet eller ſkams ſtull et ſpråk utur Bibelen i corollarien eller noten, hwilket är ja mycket ſagt, ſom at GUDs ord kommer likväl öfverens med vårt förnuſt då det borde likväl heta tvårtom? (i) Vid. *Rambachii* L. cit. L. II. C. VII. §. 26. p. 313. (k) ob ejusmodi *Philoxeniar* jure taxatur, inter alios, auctor verſio-

versionis pentateuchi Wertheim. vid. *Walchii* Relig. Streit. intra Eccl. L. P. V. C. V. S. IV. §. 59. (1) Loquor hic nuper & aliquoties indigitatum Interpretem Wertheimensem *Job. L. Schmidium*, subtilissimum & impudentissimum religionis revelatae hostem, qui, ad ductum primariae suae regulae hermeneuticae ita sonantis: Der erste Verfasser muß für sich verstanden werden, und es würde eine verkehrte Sache seyn, wenn man die Begriffe von seinen Worten in den folgenden Schriften suchen wolte, welche erst lange nach ihm verfertigt worden, methodo mathematica, horrendo conatu, modo a nobis exposito, abusus est, controversamque, nostro seculo haud minimam, excitavit, de qua si plura scire aves, Leg. *Acta Erud. Lips.* An. 1736. p. 202 - 208. *Walchii* Relig. Streit. intra E. L. P. V. C. V. S. IV. §. 52. sq. extra E. L. P. V. C. VII. §. 45. & *Act. Hist. Eccles.* Tom. I. in appendice, T. II. p. 145 - 172. 281 - 311. 480 - 497. 608 - 663. 835 - 849. 1000 - 1015. 1138 - 1153. T. III. p. 136. sq. 620. sq. 781. sq. ubi etiam multi adferuntur, a quibus dextre refutatus & castigatus est; conf. sis *Fresenii* Praef. ad *Rambachii* Christus in Mose, & *Carpovii*: Rettung der warheit und unschuld &c. in primis §. 13 - 23. (m) In Introd. cit. P. III. L. V. in prologo p. 342. (n) Vid. L. cit. *Beysage* I. p. 177. (o) Sunt verba Apol. Aug. Conf. p. 62.



Pereximio atque Præstantissimo Domino
RESPONDENTI,
Amico & Populari suo.

QUum tantum, facta impressione Dissertationis hujus vere eruditæ, quam propediem coram publico literatorum conventu defensus es, spatii vacui super futurum esse intelligerem, quantum nonnullas has facillime capturum esset lineolas, parum me amicitia, quæ in animi Tui ingenua indole fundata, occasione communis nostræ ad inclitam hanc musarum sedem commorationis enata est, atque inter nos per aliquot abhinc annos intercessit, convenienter agere existimavi, si oblatam mihi opportunam adeo non captarem occasionem, voluptatem quam ex perductis eo usque laboribus Tuis, & honore quem studiorum Tuorum rationem publico Academico reddens acquisiturus es, capio sinceram, publice attestandi. Et quamvis minime quidem dubius sim, quin Te in iis præceptis defendendis stabiliendisque fortem & ingeniosum præbeas, quibus in vastissimum eruditionis pelagum ductoribus haud infidis Te commisisti, eodem tamen sincero adfectu voveo, ut non hi minus conatus, quam reliqua Tua honestissima destinata prospere cedant, quo, hunc feliciter emensus gradum, duplicato labore & industria ad Pindi culmen contendere queas, eaque præmia & ornamenta quæ sedulos manent literarum & virtutum cultores, consequaris. Vale!

Festinanter adposuit

H. G. P.